

85. — De systemate Viæ Mediae. — Hoc sistema nomen et initium sumpsit ab Anglicanis iis qui primis Reformationis suæ erratis insistentes tentarunt plus minusve apertè medium inire viam inter Religionem Romanam, è quâ egressi erant, et Protestantismum in quem Anglicana Religio plenis se dabat velis. Ii tamen nunquam sectam feceré ab aliis divisam, sed quamdam, ut ita dicam, in communione Anglicanâ factionem, pro variâ temporum fortunâ, sive timidam sive audacem, novissimè demùm feliciter audaciorem sub nomine *Puseyismi*, à duce suo D^re Pusey, vel etiam *Ritualismi*, à ritibus nempe catholicis, quos, pro posse suo, usurpat. Non enim in solâ Ecclesiae notione, sed in dogmatibus quoque et observantiis, à Protestantismo, cuius etiam nomen satis communiter respuunt, multùm recedunt, ut appropinquent ad Catholicismum, hisce præsertim temporibus (1). Quod autem ad Ecclesiam attinet, solum hic nobis est expendendum.

Admittunt nempe Deum Ecclesiae universalí dedisse aliquam actionem, more societatis, in communi exercendam, et consequenter aliquam ad id posuisse in ipsâ Auctoritatē supremam, imò et infallibilem, ut non raro fateri videntur. Hanc autem Auctoritatē Deus posuit penès Apostolos primùm ac dein penès eos quibus illa transmitteretur ab Apostolis per missionem cum Ordinatione episcopali, juxta eos, essentialiter conjunctam (2). Ecclesia igitur

(1) Circa hujus scholæ in hoc saeculo renovationem et progressum, V. præsertim R. P. Newman : *Hist. de mes opinions religieuses*, vel etiam : *Perte et gain; histoire d'un converti*, ubi eadem in spectaculo ponit. Circa recentiores autem ejusdem scholæ manifestationes, V. D. J. Gondon : *De la réunion de l'Egl. d'Angleterre protestante à l'Egl. cathol.* — Cfr etiam quosd. artic. ap. *Etudes des R. P. Jésuites*, speciatim, ex una parte, 1866, t. IX, p. 132, 259, 378, t. XI, p. 398, itemque 1868, t. I, p. 54 ; et ex altera parte, 1867, t. XII, p. 115 ; — item et *Revue cathol. de Louvain*, juillet 1869, janv. et févr. 1870.

(2) V. supra, p. 219 not. 2. — Et ita jam Mason, theologus Angli-

componitur omnibus iis qui talibus ab Episcopis gubernantur; et, quia tales reapse Episcopos invenire est, juxta eos, tum apud Anglicanos et cæteros Episcopalistas, tum apud Romanos, tum apud Græcos, tribus iis proinde communionibus, quasi totidem *ramis*, vera Ecclesia catholica componitur. Atque si, (quod totis illi exoptant votis) trium harum communionum Episcopi in unum congregarentur Concilium, istud haud dubiè infallibile foret (1), sicut infallibilia fuere Concilia ante lugendam illam Ecclesiæ divisionem celebrata.

Ita certè multi hodie ex Anglicanis. — Item Græci, licet non ejusdem omnino conditionis, de facto, haberi debeant (videb. infrà), vix ab illis, quoad principia saltem, differunt (2). Hic enim omnes admittunt auctoritatem viginis infallibilem in antiquâ Ecclesiâ oecumenicâ et speciatim in septem ejus Conciliis oecumenicis (3), ac rursus

canus sub rege Jac. I (*Vindicizæ Eccl. Anglicanæ*, l. IV, ch. 1, n. 10) : « Quà et undè Episcopi sunt, jurisdictionem habent. Sunt autem Episcopi per consecrationem ; ergo dum consecrantur, jurisdictionem accipiunt.... » Episcopus depositus et gradu dejectus non dicendus est pristinâ suâ portestate (etiam *jurisdictionis*) simpliciter et absolutè privatus, sed materia subtrahitur in quam potestas illa operari possit » (n. 25). — Et hæc quidem subtractio non tam per auctoritatem ecclesiasticam fiet quâ per principem civilem (quod sane non paucis, ut puto, ex hodiernis *erasianismus* sapere videbitur : V. suprà p. 82).

(1) V. ap. D. Patr. Murray : *De Eccl. Disp.* VI, n. 62.

(2) Hinc Anglicani non semel, imprimis autem W. Palmer, qui tandem Catholicus factus est. (V. *Revue cathol. de Louvain*, 1855, p. 312 et ss.), nihil intentatum reliquerunt ut sese à Græcis in tertiam partem agnoscí ficerent, imò et, de facto, *intercommunionem*, ut aiunt, cum eis necterent; sed parùm huc usque profecerunt. V. D. J. Gondon, op. cit. p. 73-119. Cfr *Etudes des Jés.*, mai 1865, p. 84.

(3) Hinc schismaticus DD. Macaire (Mich. Boulgakov) « évêque de Vinitsa et recteur de l'Acad. ecclés. de S. Pétersbourg » hoc profert *principium* ad discernendam veram Christi Ecclesiam : « La véritable Eglise est celle qui conserve réellement et sans variation aucune la doctrine infaillible de l'ancienne Eglise oecuménique, et lui reste fidèle en tout

infallibilem indubie fore si congregaretur Concilium verè oecumenicum (1). Utrum verò tale haberi possit absque Patriarchatu Occidentis, i. e., Romano, multi saltem merito dubitant (2). Unde satis patet ipsos Ecclesiam admittere non in tres ramos, ad instar Anglicorum, sed in duos, unum videlicet Græcum, alterum verò Romanum, apud quos verus adhuc viget Episcopatus.

Verum, in illo sive Anglicorum sive Græcorum systmate, Ecclesia — 1 —, ex instituto Christi, esse debebet *societas*; et tamen — 2 — talis manere non posset; nec revera — 3 — talis, de facto, mansisset: — quæ sanè repugnant.

Et quidem — 1 — Ecclesia, ex instituto Christi, esse debebet *societas*; nam *auctoritatem*, imò et auctoritatem supremam et infallibilem in eâ à Christo institutam admit-

» point. » (*Introd. à la Théol. orthod.*, trad. 1867, p. 567; vel ap. *Etudes des Jésuites*, t. II, 1857, p. 18)... « L'Eglise orthodoxe, pergit idem, a consacré par des fêtes d'Eglise la mémoire des sept conciles oecuméniques; elle les exalte dans ses cantiques, comme les sept colonnes sur lesquelles la vérité de son orthodoxie repose inébranlable à tout vent d'hérésie, et y professe hautement que, comme sept esprits reposent sur le Christ, au dire d'Isaïe, de même le Christ repose sur sept conciles avec le Père et l'Esprit divin. » *Introd.* p. 534; cfr et ap. P. Tondini: *Le Pape de Rome...* etc., p. 218).

(1) Unde rursus Macaire (p. 573): « On pourrait indiquer encore un moyen pour résoudre cette question: Laquelle des Eglises actuellement existantes est l'Eglise orthodoxe? C'est une question qu'un nouveau concile oecuménique aurait plein droit de décider, s'il était convoqué à cet effet; et il la déciderait certainement d'une manière infallible. Mais il n'est pas nécessaire d'avoir recours à un semblable moyen: un nouveau concile oecuménique convoqué et tenu légalement ne saurait donner à la question posée une solution qui fut en désaccord avec les anciens conciles oecuméniques et la doctrine unanime des saints Pères; car à une nouvelle assemblée assisterait également l'Esprit saint, qui fut l'auteur de l'infalibilité des précédentes... »

(2) V., post Palmer, cuius invocat testimonium, R. P. Gagarin: *La Russie sera-t-elle catholique?* p. 52; vel ap. *Etudes des Jés.*, 1859, p. 68.

tunt: porro, ubi Auctoritas, illic et debet esse Societas (suprà, p. 76).

Et ipsa tamen — 2 — *societas manere non posset*. Nulla enim manere potest societas nisi, in casu dissensū, pars superior, i. e., sive Princeps in monarchiâ, sive Optimatum vel Civium majoritas in aristocratiâ vel democratiâ, habeat auctoritatem ex se sufficientem sive ad decernendum absolutè absque minoris partis consensu, sive etiam, ubi necesse judicaverit, ad hanc suâ auctoritatis parte exauktorandam, imò et è societate ejiciendam: secùs quippe, per obstantiam hujuscemodum minoris partis, societas jam ab agendo in communi præpedietur ac fiet inutilis.— Atqui, juxta adversarios, superveniente aliquo in societate ecclesiastica dissensu, jam unaquaque pars suam secum auferret auctoritatis partem nec ab eâ per ullam Potestatem exauktorari posset: unde jam neutrâ ex parte auctoritas subsisteret plena, sicut oportet ad absolutè decernendum. — Imò et — 3 —, quum id, juxta eos, acciderit tunc in scissione Græcorum et Latinorum, tunc rursus in scissione Anglicorum et Romanorum, jam, de facto, pluribus abhinc sæculis, Ecclesia universalis desiit esse *societas*.

Porrò, — seclusis etiam probationibus positivis quas in Cap. II^o, ubi *de sede auctoritatis*, attulimus, — quis admittet Christum res ita dispositisse, nec in constitutione Ecclesiæ suæ præcavisse id quod, naturâ duce, sapiens quisque legislator in societate suâ præcavet?...

Ergo admittendum est quod, in societate ecclesiastica quoque, Auctoritas, in casu dissensū, tota stabit ac remanebit ex parte superiori, i. e. (ne dicam *ex parte Papæ*, quia adversarii non Ecclesiam è jure divino monarchiam esse concederent) certè, vel in eorum placitis, *ex parte Majoritatis Episcoporum*, penè quos nempe Auctoritatem positam admittunt. Unde pars illa major semper supradictam auctoritatem per se, — velit, nolit Minoritas, —

plenè exercere poterit; imò et, in punitionem contumaciae, poterit hanc Minoritatē omni apud Ecclesiam jure privare atque ab ipsā excludere Ecclesiā. (Quid reipsā factum sit, in Cap. seq. inquiretur).

Neque etiam ut auctoritas hæc ita plenè exerceatur, necesse est ullum convenire Concilium. Corpus enim episcopale plena suā gaudet auctoritate non tantū quando congregatur, uti, post Jansenistas, Anglicani nonnunquam volunt (1), sed etiam dum per terras dispersum suo munere fungitur, uti sāpe ostendimus, et ipsi Græci agnoscere videntur (2).

Ergo denique fieri non potest ut duæ vel tres communiones ab invicem divisæ, sicuti sunt Anglicana, Græca atque Romana, simul haberi debeant tanquam Ecclesiæ partes necessariæ; proindeque sistema *Via Media* aut quodlibet ejusdem modi nullo modo admitti potest.

Aliunde, neque sistema Juriæ aut aliquod huic affine: Ergo, summatim, omnia rejicienda sunt systemata quæ Ecclesiam è pluribus communionibus nulli Auctoritati communi, sive de jure, sive de facto, subjectis componi volunt (3). — Igitur

86. — Quomodo determinetur quinam habendi sint de Ecclesiâ? — Dupli præcipuè sensu quæri potest quinam pertineant ad Ecclesiam. Quæri potest nempe I^o quinam *subjiciantur Ecclesiæ legibus*; quæri potest II^o quinam *participent ejus juribus ac privilegiis*.

Porro ad I^{um} respondetur omnes et solos baptizatos Ecclesiæ legibus propriè subjici: *solos* quidem; etsi enim omnes homines teneantur Ecclesiam quām primūm ingredi ubi eam sufficienter noverint (V. suprà n. 79), Ec-

(1) V. de his Em. Manning, archiep. Westm., ap. D. J. Gondon, op. cit. p. 52.

(2) Cfr Macaire, in op. suprà cit., § 140, p. 556 et ss.

(3) Cfr S. August. : *De Unit. Eccl.*, c. iv.

clesia tamen, ut ex communi Christianorum Traditione constat, illos nunquam sibi à Christo subditos habuit, nec consequenter suis legibus positivis adstringere intendit antequām, per Baptismum, characterem Christianorum et aptitudinem ad alia Sacraenta suscepereint: ideòque Baptismus dici solet *janua Ecclesiæ* (1), nec ipsi etiam catechumeni, qui fidem jam habent Ecclesiæ, ipsius tamen positivis legibus tenentur nisi *per accidens* (2). — *Omnes* autem homines qui Baptismi characterem adepti sunt, jam Ecclesia suis cujuscumque modi legibus adstrictos tenet, etiamsi ab eā separatos se habeant; illa enim jus in eos è Baptismate acquisitum servat, neque, de facto, intendit eos eximere à legibus saltem ante consummatam eorum separationem latis ac promulgatis (3). Imò et eos quos ipsa à se excommunicat, omnibus quidem juribus ac privilegiis ecclesiasticis privat, non autem ideo ab obligationibus eximit quas adhuc implere possunt: unde assimilandi sunt, ut ita dicam, non tām *expulsis* quām *civili-ter mortuis*, quales videre erat è jure civili Galliæ non ita pridem apud nos.

Igitur intelligere est quonam sensu nonnulli theologi omnem baptizatum, etamsi schismaticum, hæreticum, apostamat, vel excommunicatum, dixerint esse semper de Ecclesiâ; ad ipsam quippe adhuc aliquatenū pertinet *pas- sivè*, utpote ipsius adhuc legibus obstrictus (4). — Verū,

(1) Hinc Conc. Trident., Sess. XIV *De Pœnit.* c. ii, : « Ecclesia in ne- » minem judicium exercet, qui non priùs in ipsam per Baptismi januam fue- » rit ingressus. » — Et V. Suarez *De Leg.* l. IV. c. xix, 2; ap. Migne *Theol.*, t. XII, p. 885.

(2) V. *Prælect. juris Canon. S. Sulpitii*, t. II, n. 309.

(3) Id. ibid. n. 308 in fine.

(4) Cæteri verò Theologi communiter tales homines non de Ecclesiâ di- cunt, nec tamen inter se perfectè concordant circa eos qui dicendi vel non dicendi sint de Ecclesiâ: unde « mira profectò existit hāc de re opinio- » num varietas » ut observat D. R. de M. (*Instit. juris canon. Atrebat.*,

quia ad scopum nostrum multò potius spectat invenire eos qui ad Ecclesiam pertinent *activè* uti modò exponetur, statim respondendum est

Ad II^{um} quæstionis propositæ sensum, quinam scilicet juribus ac privilegiis Ecclesiæ planè participant. — Hic porrò, ubi probatum est Ecclesiam esse *societatem*, non esse potest ambigendi locus. In omni enim societate, Auctoritatis huic societati præsidentis est determinare conditiones necessarias ut quisque, pro suo statu, juribus ac privilegiis societatis participandi jus habeat. Rursus autem alias istarum conditionum ita determinare potest ut quisque eas infringens *mereatur* iis juribus ac privilegiis privari, — vel etiam ut iis *ipso facto* privetur. Porro item omnino in Ecclesiâ : in quâ nempe Auctoritas suprema omnibus Ecclesiæ jura ac privilegia participare volentibus certa quædam puncta fidei ac disciplinæ tenenda determinat, sed alia quidem ita ut quis ea negligens vel rejiciens mereatur quidem Ecclesiæ juribus ac privilegiis pro suâ parte privari, non tamen *ipso facto* privetur (1), — alia autem

t. I, p. 120), qui fusiorem in hoc expositionem Suarezii (*De Fide Disp. IX*, S. I, n. 13 et ss.) ita resumit : « Alii (de quibus modò), ut Cajetanus et » Alph. à Castro, includunt in Corpore Ecclesiæ *excommunicatos* etiam » denuntiatos et vitandos, *schismaticos* pariter, quin et *hæreticos* ipsos, » nihil aliud pro formâ Corporis Ecclesiæ admittentes quâm baptismum. » Alii, ex quibus Suarez et plures cum eo, includunt *excommunicatos* et » *schismaticos*, excludunt verò *hæreticos*. Alii excludunt *hæreticos* et *schis-* » *maticos*, non autem *excommunicatos*. Postremi tandem et istos exclu- » dunt, ac proinde à Corpore Ecclesiæ separant simul et *hæreticos*, et *schis-* » *maticos*, et *excommunicatos* vitandos. Horum fortè hodie opinio est com- » munior in Ecclesiâ. » — Cæterum hanc *magis de modo loquendi quâm de re questionem esse recte observat Suarez*, loco cit., n. 14.

(1) Ad hanc categoriam nobis videntur accensendæ, etiamsi in iis excommunicatio *ferenda sententia* non exprimatur, omnes illæ doctrinæ quas sive S. Pontifex declarat, sive tota Ecclesia docens prædicat omni Ecclesiæ membro esse tenendas necessariò tanquam revelatas, non adjectâ tamen excommunicatione ipso facto adversus contradicentes (Cfr. suprà, p. 140, etc.); itemque omnes Contradictoria earum Propositionum quæ damnantur

ita ut illa contemnens ipso facto omnibus iis juribus ac privilegiis privetur, — saltem quatenus sibi utilibus.

Nota : Dico : ... *saltem quatenus sibi utilibus*; nam, si qua in utilitatem aliorum habeat exercenda, putâ jurisdictionem aliquam, plurimi theologi censem illa ab eo *validè* exerceri posse usquedùm illius ab Ecclesiâ *excorporatio authenticè* constiterit per declaratio- nem seu, ut aiunt, *denuntiationem à judice competente factam* (1);

non quidem ut *hæreticæ*, (quod semper anathema ipso facto involvit), sed cum aliquâ qualificatione infra *hæresim* (V. p. 242).

Cæterum, etiamsi Ecclesia ne minimum quidem tulerit judicium circa doctrinas quæ aliunde ad *Revelationem* pertinere videntur, non idè cuique coram Deo licebit seze circa eas planè indifferentem gerere. Neque certè absque peccato erunt ii saltem quorum officio interest, si de iis vera investigare non curant. Maximè autem, nemini licebit, ubi quid in iis verè revelatum sit, clarè persperxerit, illud negare vel adulterare; ita enim fieret *hæreticus*, ut aiunt, *in foro Dei* (V. Suarez et Montaigne, ap. Migne *Theol.*, t. I, p. 1462). Sed tantum non idè dici posset *hæreticus in foro Ecclesiæ*, imò nec ullâ notâ infamari, si Ecclesia nullam reapse in hoc decreverit.

Ex his principiis patet verus sensus illius adagii satis vulgati : « *In ne-cessariis unitas; in dubiis libertas; in omnibus caritas.* » — Ex his etiam D. Emery, ut videre est in ejus *Vitâ*, tempore *Revolutionis Gallicæ*, inter varia quæ tunc edicta sunt successivè juramenta, distinguendum censem : alia nempe judicabat fidei Ecclesiæ contraria, quæ proinde nec ipse dabat, nec dantes pro Catholicis amplius habebat; alia autem non contra fidem Ecclesiæ censem : sed tantum contra conscientiam suam privatam, quæ proinde ipse non dabat, sed dantes non adversus Ecclesiam rebelles habebat : alia demum nec fidei Ecclesiæ nec conscientie suæ aestimatbat repugnare, et haec proinde dari suadebat et ipse, ubi erat opus, dabat.

(1) Namque, ut argumentatur Verricelli ad probandum *Hæreticum vel Schismaticum*, etiam notorium, non esse ante sententiam declaratoriam criminis *vitandum*, ad sensum juris, i. e., tanquam jurisdictione privatum (*Tr. de apostolicis Missionibus*, 1656, tit. IX, q. CLXIV, 9) : « Alioquin » magna sepe in Ecclesiâ oriretur confusio; non enim semper talis est no- » torietas *hæresis* vel *schismatis* ut multi rationabiliter non possint de de- » licto dubitare : quarè magna esset populi confusio; nam alii putarent » vitandum esse *Episcopum*, tanquam notorium *hæreticum*; alii negarent » esse notorium; quare neque vitandum. Ergo indistinctè dicendum est, » ante sententiam, *Episcopum non esse relinquendum*, » — Et ita commun-

— sed non tamen licet (1) : unde, etsi tales homines jurisdictionem, si quam habebant, servent, in favorem aliorum, usque ad sententiam excommunicationis ipsorum declaratoriam, ideoque possint adhuc aliquo sensu dici de Ecclesiis (2), imò et haberit ut partes illius *acti-vae*, minimè tamen sese gerere possunt ut partes illius *necessarias* (3).

Summatim igitur, ii omnes et soli ita de Ecclesiā dici possunt ut ejus juribus ac privilegiis planè participant, qui ea tenent saltem sive fidei sive disciplinæ puncta quæ Auctoritas Ecclesiæ suprema teneri præcipit sub poenâ excommunicationis ipso facto incurriendæ (4).

ter Doctores. V. Suarez : *De Fide*, D. XXI, s. v, 14 ; De Lugo, it., D. XXIII, 148 ; Regnier : *De Eccl.*, ap. Migne *Theol.* T. IV, p. 1084 contra quosdam ; etc. — Imò et ante celebrem Martini V Constit. *Ad evitanda scandala...*, quæ disciplinam hanc expressè admisit et magis præcisè determinavit, ita jam Ivo Carnotensis : «... De subjectis quoque idem sentimus, quia » non debent deserere prælatos suos, nisi priùs eos viderint publicè damnatos aut nominatim excommunicatos. » (*Epist.* 186, *Laurentio...* ; ap. Migne *Patrol. lat.* T. CLXII, p. 185.) — Cfr et alios ap. Verricelli, l. cit.

(1) V. ap. Migne *Theol.* T. XVII, Collet : *De Censuris*, p. 131 ; t. XVIII, Pauwels : *De casibus reservatis*, p. 1459 ; — etc.

(2) Ita Perrone : *De verò Relig.*, S. II, n. 196 ; ap. Migne *Theol.* T. VI, p. 1213 : — è contrà Regnier, ibid. l. modo cit.

(3) Et verò, — etsi episcopis, v. g., in hoc abnormi statu, ea quæ sui muneris sunt, nihilominus agentibus gratia et assistentia Christi non denerantur (quippe quæ non à sanctitate ministrorum pendent), — ipsi tamen, quamdiu manent in hoc statu, ab agendo abstinere deberent, ne *Deum faciant servire peccatis suis* (Is. XLIII, 24). Et profectò, si abstineant, assistentia Christi in reliquum Corpus episcopali tota refundetur, ita ut gesta absque eis valeant æquè ac si egissent. Unde, si episcopi in tali statu manentes veniant ad Concilium, peccabunt, sed vox eorum valebit : si autem non veniant, Concilium non minus plena infallibilitate gaudebit. — Etenim, — præterquam quòd nonnisi minori erunt numero, — accidere certè non potest ut Ecclesia incapax agendi fiat ob malam dispositionem eorum. — Imò nec video cur Ecclesia eos invitaret teneretur quos è publicâ notorietaet scit non posse suam invitationem absque peccato execuiri. Attamen, ex maternâ profectò et sapientiœ economiâ, illos invitare solet. V. in *Appendice XVI*, ubi quædam harum observationum applicatio ad Græcos esse poterit.

(4) Qui autem ea tenere recusat, dicitur *apostata* (ἀποστημα, *absisto*),

87. — Hoc autem posito, jam Ecclesia ita intellectæ dari potest illa definitio completa ac propria quam dudùm promisimus (suprà, n. 10, p. 16). Sit igitur

Ecclesiæ definitio (ex Bellarmino : *Controv.* T. II : *De Conciliis et Ecclesiâ*, l. III, c. II, n. 9; et Catechismis passim apud Catholicos vulgatis) : « Cœtus hominum ejusdem Christianæ fidei professione, et eorumdem Sacramentorum communione colligatus, sub regimine legitimorum Pastorum, ac præcipue unius Christi in terris vicarii, Petri Apostoli successoris. »

Tali porrò cœtui illa imprimis convenit *societatis* notio quam demonstravimus in conceptu Ecclesiæ primariam ac fundamentalem esse et sufficere ad revincendos omnes qui, *syncretistarum* more, cum eâ confundi vellent et tamen auctoritatem ejus recusarent.

Exhinc autem apprimè etiam convenient **quatuor Notæ secundariae** ab omni quidem antiquitate, maximè autem à Conc. C. P. gen. II assignatae, hocce nempe articulo Symboli : « *Credo in unam, sanctam, catholicam et apostolicam Ecclesiam* » (1). Quas et nos, ordine paululum im-

si omnem abneget fidem in Christum ; — *hæreticus* (ἄρεω, *seligo*), si quædam tantum rejiciat puncta doctrinae Christi ab Ecclesiâ propositæ ; — *schismaticus* (σχιστος, *scindo*), si obedientiam tantum Auctoritati in Ecclesiâ constituta prorsus renuat, non autem divinam illius institutionem deneget, nam, ubi ad id devenit, sicuti mox fieri solet (V. S. Hieron. *Comment. in Tit.* III, 11), jam fit propriè hæreticus, etiamsi nonnunquam nomen *schismatici* simpliciter ei continuetur, ut fit in Græcos. Schisma etiam *materiale* tantum adesset, si quis divinam Auctoritatis institutionem aliunde profitens, submissionem actualibus hujus Auctoritatis depositariis eo tantum denegaret quòd ipsam non putaret eis, de facto, legitimè transmissam. Hujusmodi quid adfuit in *Magno*, ut aiunt, *Occidentis Schismate*. — Observandum est insuper quod, etsi schisma propriè efficiatur per recusationem absolutam submissionis erga legitimos Ecclesiæ Pastores, expressius adhuc declaratur per adhæsionem aliis pastoribus sive jam existentibus sive de novo creatis. Unde id solet haberi tanquam schismatis consummatio.

(1) Plures vel pauciores Ecclesiæ notas indicatas invenire est tum apud

mutato, prout materia se dedit, jam suis locis explicavimus, hic autem simul uno quasi conspectu ponere juvat (1). Sit igitur

I^o *Unitas*, — non modò quatenus vera Christi Ecclesia *unam tantum societatem efformare* debet, uti suprà probavimus (n. 57, p. 215), — sed et consequenter quatenus debet *unam eamdemque doctrinam tota profiteri, unam eamdemque legem tota servare in omnibus punctis quæ ab Auctoritate apud eam vigente ita teneri ac servari jubentur.*

Hinc observare est non, ad unitatem veræ Ecclesiæ necessariam, satis esse *unitatem facti*, sicuti ferè quisvis sectariorum cœtus apud se allegare posset, consensionem scilicet fortuitam in pluribus paucioribus punctis fidei

S. Optatum : *De schism. Donat.* 1. II ; — tum apud S. August. : *Contra Epist. Fundamenti*, c. iv ; — tum apud quosdam alios sive Patres sive Theologos, quos cit. V. ap. Bellarmin. loc. cit. c. iii, qui et ipse quindecim allegat. Imò est quidam auctor, Bozius, presb. Oratorii Rom., (*De Signis Ecclesiaz Dei*, 1626) qui 100 enumerat, varia nempe elementa variosque respectus uniuseujusque notæ, maximè autem Sanctitatis, pro totidem Notis distinctis assumens. Quotquot verò numerentur, ut observat Bellarminus, ad quatuor supradictas semper reduci possunt.

Protestantes etiam, maximè ubi non de universali, prout illam intelligunt, Ecclesiæ agitur (V. suprà p. 297), sed tantum de particuliari cui adhaerant, Ecclesiæ seu communione, suas quoque preferre allaborant notas. Qua generatim consistere dicunt in *purâ verbi divini prædicatione, rectâ disciplina ecclesiasticae administratione et legitimâ Sacramentorum dispensatione* (cfr variis eorum fidei Confessiones, ap. Veron : *Meth. de Controversie*, 2^e P., p. 270 et ss., et V. ipsum Lutherum, cit. ap. Mohler : *Symbolique*, t. II, p. 112), consequenter nimirùm ad modum quo Ecclesiæ sibi fingunt (V. suprà n. 8 et ss.). Unde non aliter eos in hoc refutari posse putamus quam si prius ostenderis, sicut facere sategimus, non *Ecclesiam ex his omnibus eligendam esse, sed hæc omnia ab Ecclesiâ esse nobis accipienda.*

(1) Hic minimè necessarium ducimus abire in distinctiones logomachii frequentes circa notas *negativas vel positivas, sufficientes, vel insufficietes...* Haec enim omnia ex se patebunt; aut certè, si vis, cfr *Tr. de verâ Relig.*, P. 1^a c. iv.

et disciplinæ, sed non fundatam in *unitate juris*, ut aiunt theologi, i. e., in determinationibus alicujus Auctoritatis supremæ et irrefragabilis : quæ nempe, ut in toto Tractatu abundè probatum est, omnis ecclesiasticæ unitatis primarium manet ac necessarium fundamentum (1). — Unde nota hæc potest reapse sufficere contra quemlibet cœtum qui talem Auctoritatem, *de jure*, non admittit vel, *de facto*, non sequitur.

Quia verò *absolutè fieri* posset ut aliqua falsa Ecclesia talem etiam apud se Auctoritatem fingeret et ejus aliquando saltem determinationes sequi unanimiter videretur, ideo necesse erit aliam proferri notam vera Ecclesiæ essentialiter et exclusivè propriam : qualis profectò erit

II^o *Apostolicitas*, in hoc scilicet consistens quòd vera Christi Ecclesia semper debet edoceri ac gubernari per Pastores *missionem ab Apostolis* habentes non interruptam cum *consensu perseveranti successoris Petri*, utpote Ecclesiæ Centri atque Capitis (V. suprà, n. 58, p. 216). — Quæ nota semper ex se decisiva erit contra quodcumque adversariorum genus, sive *separatistas* sive *syncretistas* se ferant (2).

(1) Hinc theologos illos probare non possumus qui, antequam de Auctoritate supremâ et infallibili quidquam dixerint, *unitatem facti* tanquam in Ecclesiæ necessariam statim reclamant, nec tamen dicere possunt in quo consistat, aut cur ipsi Catholicæ in quibusdam punctis inter se liberè dissentiant, — nisi tandem ad *Auctoritatem* recurrerint... Quidni igitur ab hâc primùm stabiliendâ incepérint, unde cætera quæque flunt ac determinantur?... (Cfr dicta in *Præfatione*).

(2) Quidam etiam Theologi huic *apostolicitatî*, ut aiunt, *regiminis* adidunt *apostolicatam doctrinæ*, satagenses nimirùm, sive per Discussionem sive per Prescriptionem, probare eamdem nunc esse Ecclesiæ doctrinam quam quæ Apostolorum fuit : nec defuère quidem eruditæ viri qui eâ viâ ad veram Christi Ecclesiam deducti sunt. Ita præ cæteris doctissimum P. Newman, ubi nempe comperit eas quæ ipsi in Catholicismo apparebant ab Apostolicis doctrinis differentiæ, non esse nisi *evolutiones* illarum omnino legitimas. (V. ipsius opus : *Essai sur le développement de la doctr.*

Duae tamen aliæ notæ adhuc adduntur, *ad abundantiam juris*, sed quæ *per se* parùm valebunt contra *syncretistas*, ut posteà observare erit. — Sic

III^o *Catholicitas*, ex quâ nempe vera Christi Ecclesia extensionem semper habere debet aliquatenus universalem et qualibet aliâ christiani nominis communione *præstantiorem*, — prout suprà exposuimus (nn. 72 et 73, p. 267 et ss.) (1). — Item

IV^o *Sanctitas*, ex quâ nempe vera Christi Ecclesia 1^o *sancta præ cæteris* apparere debet in doctrinâ, legibus ac Sacramentis (2), et 2^o *majores reverâ* quam quælibet alia *præ se ferre sanctitatis fructus*, imò verisimiliter et 3^o *miracula*.

Observatio circa Catholicitatem et Sanctitatem : — Due illæ posteriores notæ primas reapse in aperceptione verae Ecclesiæ agunt partes; extraneorum enim oculi Catholicitate primùm percilluntur (V. suprà n. 72, p. 271), sicut et cor Sanctitate attrahitur (p. 278). Et ipsæ quidem

chrét.). Verùmtamen hæc methodus, ubi non in solâ Ecclesiæ quæstione instituitur, sed ad omnia doctrinæ puncta applicatur, non est reapse nisi methodus *privati examinis*, et *Ecclesiam è doctrinâ eligi* facit; ideoque non communi hominum captui ac necessitatì accommodata est, nec proinde nota, qualem quærimus, ad inveniendam Ecclesiam haberi potest.

(1) Quidam huic *catholicitatî*, ut aiunt, *loci addunt catholicitatem etiam tum temporis, tum doctrinæ* (Cfr S. Cyrill. Hierosol. loco suprà cit. p. 60). Verùm eæ recidunt in perpetuitatem et infallibilitatem nec notæ propriè haberri possunt.

(2) Non inde sequitur *Ecclesiam è doctrinâ eligi*, ad sensum Protestantum (V. suprà, n. 8); non enim quærimus *directè è Scripturâ aut Traditione* an doctrina reverâ prolata sit à Christo; sed quærimus tantum è recto animi sensu an appareat non indigna Deo, pia, utilis...; quod quidem ad *indirectam* quamdam ducere potest præsensionem, imò, si cum effectibus sumatur, ad certitudinem quamdam moralem de divinâ illius origine (prout expositum est in *Tr. de verâ Relig.* P. 2^a, s. 1^a; et cfr adnotata in *Præfot.* p. xiii); sed minimè necesse est ad præsentem hujuscce notæ scopum, ut huc usque *per se* pertingat.

veram Christi Ecclesiam distinguere sufficienter à sectis *separatistis*, quarum nempe unaquæquæ dum sese singulatim Christi Ecclesiam dicit, eo sufficienter refellitur quòd veræ Christi Ecclesiæ neque Catholicitatem neque Sanctitatem æquare potest. — Non autem æquè valebunt adversùs sectas *syncretistas*; quarum unaquæque non sese singulatim Ecclesiam prædicat, sed tantum Ecclesiæ partem non forsan maximè extensam nec etiam maximè sanctam, sed participem tamen extensionis et sanctitatis cæterarum partium præsertimque magnæ communionis Romanæ (1); ideoque cum iis unam efformare contendit Sanctitatis summam, et Catholicitatem nostrâ, ut ita dicam, catholiciorem.

Contra has igitur sectas probandum est nos quidem, etiam absque eis, Catholicitatem et Sanctitatem sufficientem ac præminentem habere, ipsas autem non posse unam nobiscum Ecclesiam dici, nec proinde nostram participare Catholicitatem et Sanctitatem. Hoc autem vix probari potest quin probetur ipsas essentialē Ecclesiæ Unitatem et Apostolicitatem non servasse. Argumentatio igitur deducta è Catholicitate et Sanctitate est veluti gladius quo feriri vix potest hostis nisi jam aliunde occisus.

(1) Huc cfr epistolam quamdam D. Pusey circa conversionem D. Newman, ap. J. Gondon : *Conversion de 60 ministres anglicans etc.*, p. 436 et ss.